



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Die Parasceves De Passione Domini nostri Ihesu Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

peccabant regnum mundanum. Ideo has conciones Christi furenter detestantur.

DE SEXTO.

Testimonium hic clarum exstat, quod Filius Dei fuerit etiam ante assumptam carnem. Sicut clare dicit: Antequam Abraham natus esset, ego sum. Sed hoc declarandum est ex primo capite: In principio erat uerbum, &c.

DIE PARASCEVES

DE PASSIONE DOMINI

nostri Ihesu Christi.

Triplex est meditatio passionis Filij Dei, Paedagogica, Spiritualis, & exemplaris.

Paedagogica est saepe legere ipsas narrationes, discende, aut docende historiae causas, et quaerere testimonia Prophetarum, & causas: an Deus uoluerit Filium pati, cur uoluerit eum pati, quomodo natura humana sit subiecta peccato, an redempta per solum filium, &c. & confirmare tali lectione fidem, qua adsentimur Historiae. Haec diligentia etiam est utilis, et sine hac sequentes usus haberi non possunt. Ideo haec lectio, & cogitatio sit crebra, ut simul accedant sequentes usus.

Spiritualis meditatio haec est. quia filium Dei oportuit fieri hostiam, agnoscere magnitudi-

L

nem

IN DIE

nem iræ Dei aduersus peccatū, & uere expades-
cere, ac rursus agnoscere misericordiam, & fide
erigi, & uiuificari. quia hæc hostia est præstan-
tior tota mole peccati, et filius est certum pignus,
quod Deus diligat nos, & uelit nos saluos facere.
Cum hi ueri motus, pauores, & consolatio, timor
& fides, sensus iræ Dei & uiuificatio per fidem
in Filiū Dei accedunt: hæc est præcipua, et salu-
taris meditatio, et applicatio beneficij Dei ad nos.

Sed utrunq; oportet animo intueri, iram & mi-
sericordiam. Homines ociosis animis cogitant de
Deo, non existimant eum uere irasci peccato, quia
humani animi leuitas non magnificat errata sua.
Sed Deus hanc amentiam uult corrigi, Ideo totū
genus humanum ingentibus calamitatibus onera-
uit. Omnes miseriæ singulorum, mors, & suppli-
cia, bella excidia, uastitates, ut diluuiū, conflagra-
tio Sodomæ, clades omnium regnorum, ōnium æta-
tum, sunt testimonia proposita, ut conuincant nos,
Deum uere irasci peccato. Sed euidentis testimoniū
erit impijs, qui in hac uita uerbum & testimonia
Dei contemnūt, cruciatus æternus post hanc uitā.

Verū in hoc mundo uisibili fuit euidentissimum
testimonium iræ Dei, quod placari nulla re potuit,
nisi morte unigeniti Filij, Nō poterat placari nec
sanctorū ærūnis, ut Abel, et aliorum. Iam cogita,
quis

quis hominum satis consideret magnitudinē huius irae, et beneficium Dei tanti aestimet, quanti reuera estimandū est. Omnes igitur sunt ingrati, ignari, et irae Dei, & beneficij. Hanc securitatē, ingrati- tudinem, ignorantia, agnoscamus, & aliquo modo corrigamus. Rursus cū uerus pauor extitit in corde, accedat cōsolatio, et agnoscamus magnitudinē misericordiae, qd' uoluit deus ideo pati Filiū, ut per hunc placatus, uere nos recipiat, et saluet: Et discamus applicationē, quod non aliter consequamur remissionem peccatorū, et uitā eternam, nisi hac ipsa fide statuentes, quod propter filiū Dei factū pro nobis uictimā, Pater aeternus recipiat nos, et saluet

De hac applicatione teneantur in promptu testimonia: Rom. 3. Iustificamur autē gratis per redemptionē Ihesu, quem fecit Deus propiciatorem, per filium in sanguine eius &c. Rom. 8. Pro peccato damnauit peccatū, 2. Corinth. 5. Eum qui nō nouit peccatū, fecit peccatum, ut nos fieremus iusticia Dei per ipsum. Hanc applicationem discas, ne sanguis Christi frustra pro te effusus sit, & Deo gratias agas, & ei obedias pro tanto munere. Hae meditatio, uidelicet, expauescere intuentem irā Dei in passione Filij, & rursus erigi fide, agnoscentē misericordiam, & gratias agere, est uere cultus Dei, qui debet esse perpetuus.

IN DIE

Iam cogita, quam multi homines sint, qui hoc tantum munus curent, qui non anteferant sanguini filij Dei suas cupiditates. Plurimi fatentur se dubitare, an ad ipsos pertineat hoc tantum munus. Sed contra hanc duditationem confirmemus nos Euāgelio, et assiduo exercitio in inuocatione.

Tertij generis meditatio est exemplaris, ubi iam utimur hoc exemplo, ut lege, seu regula quod sicut Christus passus est, ita oporteat & nos pati. Estq; hæc singularis sapientia Ecclesie, intelligere causas calamitatum humanarum, & ueras consolationes. Sapiētes inde usq; ab initio mūdi mirati sunt, quid sit causa, cur hæc præstans natura hominum tantis ærumnis onerata sit, imo qui fiat, ut optimi tristissimis casibus opprimantur. & alij alias causas cogitauerunt. Sed uerbum Dei monstrat ueras causas. Initio ut Paul. inquit, Per peccatum peruasit mors in omnes homines. Et sequuti sunt morsus Diaboli ingentes, sicut dicitur de Serpente: Serpens mordebit calcaneum tuum.

CAUSAE AFFLICTIONVM.

- I** Peccatum, & morsus Diaboli.
- II** Peccati agnitio in Ecclesia.

Volun

- III Voluntas Dei, uolentis reuocare ad pœnitentiã, & ad agnitio-
nem promissæ misericordiæ.
- IIII Occasio confirmandæ fidei.
- V Agnitio auxiliij Dei, & exerciti-
um, ut confirmetur fiducia Dei,
exuatur fiducia, nostri.
- VI Ut conspiciatur in nostra imbe-
cillitate potentia Dei.
- VII Ut efficiamur similes filij Dei.
- VIII Ut afflictio sit testimonium futu-
ræ uitæ.

Sed cur Christus cum esset sine peccato, subie-
ctus erat cruci? Quia mors est pœna peccati.
Cum igitur Christus esset uictima, hoc est, pœnam
peccati pro nobis subiturus esset, mors & tristissi-
mæ afflictiones ei subeundæ fuerunt, Et uult Deus
Ecclesiam huius sui capitis similem fieri, ideo præ-
cipua membra, Abel, Esaias, Prophetæ, Apostoli,
& alij multi interfecti sunt, ut fierent similes ca-
pitis. Sed in his, & ceteris hominibus afflictiones
hanc quoq; causam habent, ut ipsi suum, & gene-
ris humani peccatum agnoscant. Nam Ecclesia
præcipue subiecta est cruci, ut agnoscat pecca-
tum, quod impij contemnunt. Deinde accedunt et
ceteræ cause, quas recensui.

IN DIE

Ac precipuæ finis afflictionum considerandus est, uidelicet, quod uelit Deus affligi, non ut peccemus, sed ut saluemur, hoc est, ad agnitionem peccati, et misericordie reuocemur, iuxta illud: *Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.* Hanc uoluntatem Dei, et has causas humana ratio per sese non uidet. Cum sunt res aduersæ, statim cogitamus nos abiectos esse à Deo. Rursus hos putamus diligi, qui florent gloria, & potentia. Sed hic error eximendus est animis, & opponenda imago Christi, & discedenda perpetua sententia Euangelij, quod subiecta sit Ecclesia cruci, et quare subiecta sit. et tenenda sententia, quæ docent nos de hac uoluntate Dei. ut, *Qui uult me sequi, tollat crucem suam, & sequatur me.* item: *multæ tribulationes iustorum,* Item: *Humiliamini sub potenti manu Dei, uidelicet, quæ & potenter humiliat, & potenter liberat.*

CAP. LIII. ESAIAE.

Hoc caput octo habet locos precipuos
PRIMVS Locus est Historia.

II Causa

III Applicatio beneficij. Noticia eius iustificabit multos.

IIII Prædicatio pœnitentiæ uniuersalis.
Promissio

- V Promissio vniuersalis.
 VI De sacerdotio Christi.
 VII De resurrectione & regno.
 VIII De pœnis impiorum.

Quis credet sermoni nostro, & brachiū Domini quis agnoscat? Pullulabit coram Deo sicut uirgultum, & sicut radix de terra sitiente. Nō est species ei neq; decor. cum aspiceremus eū, non erat species quæ placeret. Despectus erat & abiectissimus omnium, dolore & ærumnis oppressus. Sic abhorruimus eum, ut uultus nostros auerteremus ab eo, Ideo nihili fecimus eum.

Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse sustinuit. Nos reputauimus eum tanquam astrictum, & à Deo percussum & proietum. Sed uulneratus est propter peccata nostra, & astrictus propter iniquitates nostras.

Pœnam ipse sustinet, ut nobis pax et uenia cōcedatur, & uulneribus eius nos sanati sumus.

Omnes nos quasi oues errauimus, singuli in uis suis, & Dominus coniecit in eum iniquitates omnium nostrum. Cum astrictus et humilitaretur, non aperuit os suum, sicut agnus qui ad mactationem ducitur, & sicut ouis, quæ obmutescit coram tondente ipsam, nec aperuit os suum.

IN DIE

Ex afflictione & poena liberatus est, & quis enarrabit secula eius? Cum abscissus est de terra uiuentium, propter scelus populi percussus eum, et sepultus est sicut impij, & mortuus sicut diuites. Ipse non iniuste egit, nec dolus fuit in ore eius, sed Deo placuit eum conterere afflictione, Quia dedit animam suam ut esset hostia pro peccato, uidebit longam posteritatem, & consilium Dei foelicitate perficietur manu eius: Quia laborauit anima eius, fruetur uoluptate. Et seruus meus iustus iustificabit noticia sui multos, quia peccata eorum ipse sustinuit. Ideo distribuam ei magnam hereditatem, & fortes spoliabit. Quia tradidit animam suam in mortem, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum sustinuit, & pro transgressoribus rogauit.

DE AGNO MACTATO IN

Paschate, ex capite XII.

Exodi.

Certum est ueterem ritum mactationis agnitantis miraculis institutum, non solum fuisse signum admonens de praeterita liberatione, sed etiam de futura, & de agno, hoc est, uictima, per quam uera et aeterna liberatio donanda erat. Ideo & Paulus confert uetus Pascha cum Christo, inquit, Pascha nostrum imolatus est Christus. Ut
autem